ERECTIO, ET INSTITUTIO CONGREGATIONIS CARMELITARUM...

Carmelitani scalzi, Clemens 8.>

ERECTIO,
ET INSTITVTIO
CONGREGATIONIS
CARMELITARVM
DISCALCEATORVM

Primitiuam Regulam Obseruantium

Per S.^mum D. N. PP.

CLEMENTEM VIII.



ROMAE

Apud Impressores Camerales. M D C.

Superiorum authoritate.

CLEMENS PAPA VIII.

AD perpetuam rei memoriam.

In Apostolicæ dignitatis culmine meritis licèt imparibus diuina disponente clementia constituti, ad ea nostræ mentis aciem libenter dirigimus per quæ sacrarum Religionum in Ecclesia Dei piè sanctèq; institutarum quarum professores vitæ sanctitate & exemplo, ac sacrarum literarum doctrina fideli populo ad salutem prodesse student, propagationi, & incremento quantum cum Domino possumus, intendamus. Aliàs siquidem cum in Italia præter Monasterium, seu Collegium Sanctæ Annæ Ciuitatis Ianuen. nullum aliud extaret virorum Monasterium, neq; Conuentus, aut domus Ordinis Fratrum Carmelitarum Discalceatorum nuncupatorum:
1 * Nos cupientes ordinem prædictum (cuius professores primitiuæ regulæ à bo: me: Alberto Patriarcha Hierosolymitano ipsi Ordini præscriptæ, & à fel: rec: Innocentio Papa IIII. Prædecessore Nostro prima Septembris anni M.CCXLVIII. Pontificatus Sui Anno V. confirmatæ normam, tum in Regnis Hispaniarum, tum in Italia diligenter obseruant, & in vtrumq; instituti sui finem, priorem scilicet, ac potiorem qui est diuina vnio per orationem, & contemplationem, & posteriorem, qui est salus proximiorum, verbo, ac opere Sanctorum Prophetarum ELIAE, & ELISEI, aliorumq; Sanctorum Patrum quorum hæredes sunt, vestigijs insistentes incumbunt, in Alma Vrbe nostra propagari; vnam eiusdem Ordinis domum apud Ecclesiam Beatæ Mariæ de Scala nuncupatam in regione Transtyberim de eadem Vrbe, Apostolica auctoritate perpetuò ereximus prout in nostris desuper in forma Breuis expeditis literis pleniùs continetur. Porrò, cum præter fidedignorum testimonia quæ de huius Ordinis Sanctitate ad Nos perlata sunt, Nos ipsi experientia cognouerimus quantum vtilitatis in Ecclesia DEI pijs eorum exercitijs, tum orationibus, mortificationibus, asperitate vitæ, tum prædicationibus, confessionibus, & Sacramentorum administratione ad DEI laudem, & Christifidelium animarum salutem quotidie afferat. Volentes vlteriori eiusdem Ordinis propagationi, quantum cum Domino possumus, opportunè prospicere;
2 * Motu proprio, & ex certa scientia ac

mera deliberatione nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, tam ex prædicta in Vrbe per nos erecta, & alia supradicta Sanctæ Annæ Ianuen, & quibuscũq; alijs domibus, seu Conuentibus in Italia forsan hactenùs erectis (quas, & quos iam à Congregatione eiusdem Ordinis Hispaniarum per dictas nostras literas separauimus) quàm ex alijs quibuscũq; domibus, & Conuentibus posthac in Italia, & alijs quibusuis, præter Hispaniam locis, ac Regnis erigendis, vnam Congregationem Fratrum Carmelitarum Discalceatorum à præfata Congregatione, seu Ordine Hispaniarum, & quibuscũq; alijs eiusdem Ordinis Congregationibus, seu Prouincijs, illarumq; Superioribus, & fratribus prorsùs distinctam, & separatam, nobisq;, & Apostolicæ Sedi immediatè subiectam, ab vno Præposito cum Definitorum interuentu iuxta regularia eiusdem Ordinis statuta regendam, & gubernandam auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò erigimus, & instituimus.

3 * Ipsiq; Congregationi sic erectæ, eiusq; nunc, & pro tempore existentibus domibus, seu Conuentibus, ac Superioribus, & fratribus, vt quibuscũq; priuilegijs, indultis, concessionibus, exemptionibus, immunitatibus, prærogatiuis, fauoribus, indulgentijs, & alijs gratijs, tàm spiritualibus, quàm temporalibus supradictæ Hispaniarum Congregationi per quoscũq; Romanos Pontifices Prædecessores Nostros, ac Nos, & Sedem Apostolicam quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis, aut aliàs quomodocũq; concessis, confirmatis, & innouatis, ac in posterùm concedendis, vti, frui, & gaudere possit, sine aliqua prorsùs differentia, perinde ac si eidem Congregationi Italiæ eiusq; domibus, Conuentibus, Superioribus, & personis nominatim, & æquè principaliter concessæ fuissent;

4 * Vtq; nouas domos, & Conuentus in quibuscũq; Ciuitatibus, Terris, & locis tàm Italiæ, quàm aliarum extra Hispaniam Prouinciarum, ac Regnorum recipere, & erigere valeat, dummodò tamen in quacũq; illarum, duodecim Religiosorum numerus ad minus commodè ali, & commorari possit. Necnon etiam, vt quæcũq; bona stabilia, & mobilia ipsis Domibus ex quibuscũq; piorum Christifidelium eleemosynis, largitionibus, donationibus, successionibus, legatis, & alijs dispositionibus acquirere, & recipere, ac in eorũdem Conuentuum, & domorum vsus, & vtilitatem conuertere possit;

5 * Et præterea, quia in eadem Congregatione Capitula generalia, vel Prouincialia iuxta constitutiones quotannis non celebrantur, vt in quibuscũq; domibus, & Conuentibus eiusdem nouæ

A Con-

Congregationis à Superiore deputandis Nouitij ad habitum per fratres eiusdem Ordinis gestari solitum de licentia Commissarij, seu Præpositi generalis eiusdem Congregationis (seruata tamen in reliquis forma Sacrorum Canonum, constitutionumq; Apostolicarum, ac decretorum nostrorum, ipsiusq; Ordinis Regularium Statutorum) dummodo informationes pro Nouitijs admittendis receptæ per vota secreta per Capitula Conuentus in quo huiusmodi Nouitij recipiendi erunt,
6 approbentur; * Ipsasq; informationes, nisi iam aliàs habeantur, Superior Congregationis, vel Conuentus aliquibus Fratribus prudentia, & zelo Religionis præstantibus recipiendas committat, qui Commissarij illas recipiant de qualitatibus eorum, qui recipiendi erunt ex præscripto Constitutionum Apostolicarum, & si extra locum Conuentus huiusmodi informationes recipiendæ fuerint idem Superior illas modo præmisso recipiendas aliquibus personis fidedignis committat, recipi possint, & valeant, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, ac li-
7 centiam, & facultatem opportunas impartimur. * Et pro maiori huius instituti conseruatione in ipsa Congregatione aliquem etiam Discalceatorum Hispaniæ, aut ab alia quacumq; Religione Apostatam, fugitiuum, vel expulsum recipi posse prohibemus. Quòd si secus, scienter, vel ignoranter fieri contigerit, receptio, & admissio huiusmodi nullius
8 sit roboris, vel momenti, & ipse receptus statim eijci debeat. * Nullum præterea huius Congregationis Religiosum curam, aut gubernationem Monialium, etiam si eiusdem habitus, & regulæ existant, præterquam Monasterij de IESV MARIAE Ianueñ. suscipere, vel habere permitti-
9 mus. * Ipsius autem Congregationis Italiæ regimini, & prosperæ gubernationi prospicere cupientes, dilectum filium Petrum de Matre Dei Priorem prædicti Conuentus Sanctæ Mariæ de Scala de Vrbe eiusdem Congregationis Commissarium Generalem, hac vice auctoritate, & tenore prædictis facimus, & deputamus, eidemq; Congregationem Italiæ prædictam, eiusq; Domos, & Conuentus quoscumq; erectos, & erigendos regendi, & gubernandi, ac omnia, & singula alia quæ iuxta Constitutiones Præpositus, ac Definitores in eadem Congregatione facere, & exercere possent faciendi, & exercendi, ac vbi censuerit, Superiores eligi faciendi, per vota secreta Capituli, Conuentus faculta-
10 tem, & auctoritatem tribuimus. * At vbi alij duo Conuentus iam conditi, ac decenter stabiliti erunt, ad quos condendos specialem licentiam concedimus, Omnes Superiores cum eorum socijs, & discretis canonicè ele-

cè electis per eundem Petrum ad Capitulum conuocari, & iuxta Con-
stitutiones ad electionem Præpositi, & Definitorum Congregationis,
& ad reliqua quæ ad Congregationis bonum expedire crediderint, pro-
cedi debere, Præpositumq; ritè iuxtà Constitutiones electum eo ipso,
confirmatum esse, & auctoritatem Commissarij expirare, totamq; in
Præpositum iuxtà tamen Constitutiones refundi statuimus, & ordina-
11 mus.*Sed si ante expletam huiusmodi commissionem prædictus Petrus
è vita discesserit eius vices Priori antiquiori earundem domorum geren
12 das committimus, & demandamus.* Et vt huius sacræ vineæ fructus
pluribus prosint, Societatem, seu Confraternitatem Beatæ MARIAE
de Monte Carmelo instituendi eiq; exercitia iuxtà Constitutiones præ-
scribendi, personasq; in eandem Confraternitatem admittendi Con-
13 gregationis Commissario, aut Præposito facultatem impartimur.*De-
cernẽtes præsentes literas nullo vnquam tempore de subreptionis, vel
obreptionis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quouis defectu, etiam
ex eo quòd quicumq; interesse habentes vocati non fuerint, notari, ar-
gui, impugnari, aut ad terminos iuris reduci, seu in ius, vel controuer-
siam reuocari posse. Sicq; per quoscumq; Iudices, & Commissarios, qua-
uis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter
iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate vbiq; iudicari, &
definiri debere, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam
quauis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non
obstan piæ me. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, qua ca-
uetur expresè, ne qui Fratrum Mendicantium Professores loca ad in-
habitandum recipere, seu recepta mutare audeant, aut præsumant absq;
dictæ Sedis licentia speciali de prohibitione huiusmodi expressam men-
tionem faciente, ac alijs Constitutionibus, & ordinationibus Aposto-
licis, necnon Ordinis prædicti, etiam iuramento, confirmatione Apo-
stolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus,
cæterisq; contrarijs quibuscumq;. Volumus autem, vt harum littera-
rum transumptis, etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & si-
gillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem
prorsus fides in iudicio, & extra illud vbiq; adhibeatur quæ adhibere-
tur eisdem præsentibus si essent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ apud
Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die xiij. Nouembris, Millesi-
mo sexcentesimo, Pontificatus Nostri Anno Nono.

M. Vestrius Barbianus.

Summarium Priuilegij.

1 *Laudat Summus Pontifex institutum, & obseruantiam ipsius.*

2 *Idcirco Motu proprio erigit in Italia vnam Congregationem ab omni alia separatam.*

3 *Concedit eidem Congregationi Priuilegia.*

4 *Concedit eidem Conuentus extra Hispaniam vbiq; erigere.*

5 *Concedit ad habitum recipere extra Capitula Prouincialia, aut generalia approbata informatione per Capituli Conuentualis vota secreta.*

6 *Tradit modum capiendæ informationis.*

7 *Prohibet recipi Apostatas fugitiuos, & expulsos aliarum Religionum, & annullat eorum receptionem.*

8 *Prohibet curam quarumcumq; Monialium, præterquam Monasterij de Iesu Maria Ianuensis.*

9 *Præficit gubernationi prædictæ Congregationis cum omni auctoritate, & sub titulo Commissarij Fratrem Petrum à Matre Dei.*

10 *Qui erectis duobus Cœnobijs conuocet Capitulum ad electionem Præpositi faciendam in quem eius auctoritas refundetur.*

11 *Moriente prædicto Commissario ante completam commissionem substituit eius loco Priorem antiquiorem.*

12 *Concedit erectionem Confraternitatis, & receptionem ad illam.*

13 *Roborat præfata solitis clausulis.*

Summarium Priuilegij.

1 [illegible] Summi Pontificis [illegible], & [illegible]

2 [illegible]

3 Concedit [illegible] Priuilegia.

4 [illegible] Conuentus extra [illegible]

5 [illegible]

6 Tradit [illegible] capienda [illegible].

7 Prohibet [illegible] ipso facto [illegible] Religiosum, & [illegible].

8 Prohibet [illegible] Monasterij de Insula Mariæ [illegible].

9 Tradit [illegible] prædictæ Congregationis [illegible]

10 [illegible]

11 Ad [illegible] prædictæ [illegible] subsistit [illegible].

12 Concedit [illegible].

13 Roborat præfatum [illegible] clausulis.